

168

HAEC DOMVS AETERNA EST. Domum Aeternam appellatum saepenumero sepulchrum vidimus, non solum a Christianis, quod luculenter ostendit Fabret. Inscr. Dom. Cap. II. pag. 113. verum etiam ab Ethnicis, ut ex innumeris prope modum constat Inscriptionibus, quas in Indicibus, Scaligeriano praesertim cumulas vide. In Inscriptione Fanensi apud Fabrett. Inf. Dom. Cap. II. 96. legitur

HIC IACET AETERNA SAVIS HVMATA DOMV.

CERTAM DOMVVM appellat Pædagogus apud. Gruter. p. DLXXXV. 10. in elegantissimis versiculis, quibus puerum suum alloquitur.

HAEC SVNT PARVE TVAE MEÆQVE SEDES

HAEC CERTA EST DOMVS HAEC COLENDATA NOBIS.

\*

L X X X V I I I.

S Ebaſtianus Maccius de Portu Piſauri lib. I. Cap. XIII. & XVII. Inſcriptionem hanc ex Aedibus Pardiſiorum vulgavit; Deest tamen in MSS. Collectionibus meis, quæ Maccio aut superiores sunt, aut certe æquales; neque id mirum: quis enim facile perspiciet eam purum putum vel Maccii, vel alterius cuiuspiam (ne Maccio subiectus videar) figmentum esse, quo L. Accium Tragædorum principem Piſaurenſem fuisse demonstrarent, quod ex Eusebio in Chron. parum illis constare videbatur. Nollem rem libello de Viris Illustribus Piſaurenſibus reservatam hic pertractare; Illud tamen in præsentia profitendum duxi, satis constare L. Accium, Piſaurenſem fuisse, neque fictitiis Inſcriptionibus ad id opus nobis esse. Fundum Accianum, qui ibidem ab Eusebio memoratur, exhibent & binæ fictiles Lucernæ duobus ab hinc annis in arcâ Sepulchrali ad D. Marinæ detectæ, quæ nunc in locupletissimo antiquarum Lucernarum amicissimi Viri Jo. Baptistæ Passerii J. C. Theſauro servantur, in quarum ambarum fundo legitur.

AC-